

merito a sociis suis ineptus et insulsus dicatur. Nec vero opus optatum lingua ignota uti dicendo apud eos quorum pars major vix aures præbent oratoribus vel clarissimis, qui de maximis rebus summa cum eloquentia Anglice loquuntur. Officium autem ingrattissimum orationem suam præbere quasi medicamentum, ut sophomori jocos ineptiasque quibus jam quattuor menses onerati sunt, quam facillime evomunt; quod tamen necessarium, ne, si in "Varsitatem" illa putida joca furtim irrepserint, fama et existimatio illius libelli, hodie ut semper titubantis, in æternum occiderit. Sed hoc præter omnia adversum, sentire eos qui hic congregati sint advenæ, dicere, vel potius ita dicerent si Græcam linguam cognovissent,—at his temporibus quotusquisque est qui eam cognoverit—*ἀλλ' αὖτις τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέχμην*, et conscius esse quantum sit intervallum inter suam declamationem medicocrem, et eloquentiam illam quæ ab oratore Latino omnibus est expectanda. Hæc ut omnia fierent, ut nemo spe frustrata abiret, opus erat Cicerone, nedum oratore dimidiato tale qualis ego.

Sed tamen, nescio quo fato, ut ait Horatius, poscimus. Necesse est ergo colaphos, qui in nos velut in scurræ antiquum continue a subselliis ultimis conjiciuntur, æquo animo pati, et ut canis ad Nilum, bibens et fugilens, farra ginem nostrum quam celerrime absolvere.

Sed seu Latine seu Anglice, sive multa sive pauca, sive severa sive ridicula, sive profecto nihil dicemus, de senatu quidem promeriti sumus ut attente et patienter audiamur. Quando enim ab ambulando domum reversi sumus sine veste a manibus condidatorum et pedisequorum nimium enixe prensantium turbata? Prensas philosophiæ professor, prensat professor Germanicus, immo prensat quam maxime ludimagistri cujusdam filius, sequiturque patrem non passibus æquis. Nonne epistolas libellosque cotidie a petituriensibus accepimus, quoad cophinus et dormitorium quidem impleta sunt, et nos piget Gradum Baccalaurei in Artibus unquam adeptos esse—nec dum cessant? Nonne acta diurna semper referta sunt epistolis, accusationibus, petitionibus, eorundem hominum ad nauseam de questionculis et lana caprina disputantium? Nonne semper raucas declamationes audimus quarum supellex verborum sola est, "ego et mea officia," "tu et tua perfidia" erga Universitatem, dum aures surdæ sunt et fidem de humanitate hominum omnino amisimus? Hæc omnia et majora quum patienter passi simus, justum est ut morem *meum* geratis, dum reponere conor.

Et fortasse non absonum est, si vobis, socii, is qui quamquam ranarum viscera nunquam inspexit, neque Orientalium neque linguæ Gallicæ studiosus fuit, manum tamen ferulæ quoque subduxit, quem gustum "crambes repetitæ," et veritatem illius proverbii "Nam quæ meritoria somnum admittunt" experientia docuit, pauca dicat priusquam a vobis discesserit, de rebus ad omnes qui socii fuimus in hac Universitate pertinentibus. Multa sunt in vita nostra laudanda, sed, eheu, multa reprehendenda. Non sane dico "Et quando uberior vitiorum copia" "sed tamen unum est vitium maxime deplorandum, desiderium nimium laudationis, atque nescio an hoc non sit causa ferme omnium malorum quæ circum hoc collegium prævalida sunt. Nec vero necesse est quemquam a me nominari; omnes enim de hoc vitio quidem aequæ rei: nam nemo est Academicus quin quoquo modo niteretur velit. Conscii quidem omnes sumus esse "*πρόσθεν Πλάτωνα, μέσσον Μίλωνα, ὀπίθεν Δημοσθενῆ*" supra vires esse, sed tamen totum animum unum in genus intendimus, ut in eo quidem Roscii simus, et famam adipiscamur.

Hic libris auditionibusque tota mente incumbit et vitam diem noctemque eandem incudem tundens degit, ut mereatur præmia et honores consequatur. Ille totum impetum animi corporisque in palæstram et campum convertit, ut ob vires et perniciatē laudetur. Tertius declamator fieri maximus apud litteratos, vel potius dixerim litteratores, cupit, et dicere de omnibus rebus coram omnibus, etiamsi nihil habet quod dicat coram ansere. Alius cacæthi scribendi ægrotat, qui in cælo est si pœma—cui nomen

ejus subscriptum—paginis Varsitatis contulerit, versificator profecto melior quam pœta, et se Byronem esse putat si frontem contraxit, vel si se vino ingurgitavit. Alius popularis haberi gestit, et ad id venas tenet, ut ita dicam, voluntatis sociorum suorum atque se in servilem patientiam demittit ut dux habeatur inter socios et nomen ejus in varsitate nitescat, P. Q, Tiro, præses inter eos qui gradum Baccalaurei in Artibus—si benigni examinatores—anno XCVI. adepturi sunt. Sunt etiam qui nomen apisci avent quia sunt male morati, et ob numeros poculorum; sed omnes causa gloriæ vel potius simulacri cujusdam quod animis augustis gloria esse videtur.

Ita accidit ut in collegio nostro doctrinam minime sua causa consequamur, nimium ob laudis desiderium, ex quo fit ut vera scientia nostræ universitate fere omnino desit, quod fortasse verisimile est proverbii "medio flumine quarere aquam," sed tamen est verum. Hinc ergo multi qui ob scientiam quasi miracula habentur, qui præmia multa adepta sunt—sed qui veram scientiam ne primoribus quidem labris contigerunt—inepti, exiles nullum sucum, nullum rationem habentes, exeunt. Hinc Milones primum quidem digni qui pugiles et dentilegi fiant, ad extremum operarii evadunt. Hinc rabulæ qui circum rostra spatiantur tonitrus vanos ululantes, foraminibus sine cadis per-similes.

Sed si quis laudi minus, magis autem educationi veræ disciplinæque animum intendit, si rem ipsam adipisci, non adumbrationem, enitetur, quamquam non aliquo in genere cum ceteris decertare poterit, neque præmia apisci, tamen si in hoc præcepto pertinaciter manserit "Nullam esse gloriam præterire asellos," quum tandem in vitam ingressus erit *οἷος πέπνυσθαι* invenietur, *τοὶ δὲ σκυῖαι αἰσσεσθαι*.

Inconcinnum videatur fortasse, in ea concione, quæ prioribus annis facetiis de rebus in hoc collegio gestis dedita est, aliquid dicere de morte illius optimi Præsidis, cujus obitum adhuc omnes lamentantur: tacere tamen ingratum, eo tempore præsertim quum jam cæpimus indefessis ejus laboribus frui. Immo, nos, qui quum collegium restauratum, pulchrius et melius quam prius ornatum vidimus, illud incendium quod tum calamitas habebatur, quasi bonum opertum nunc existimamus, quo modo missum faciamus illum, quo modo illius obliviscamur, cui spatium vitæ brevius redditum est, primum clade ipsa, deinde laboribus assiduus ut calamitatem in bonum converteret? Sed ea perseverantia mirabilis, qua quum vergente ætate opera sua et spes omnes eversa vidit, et remedio nullus locus esse videbatur, opus tamen totum redintegravit, si praecepit mortem, amorem certe, et desiderium nostrum vitalius reddidit, et abhinc manebit imago ejus intimo sensu nostro reposita, quem prius a longinquo modo venerabamur. Eum sentimus ut avem in illa Homeri similitudine *ὥς δ' ὄρνις ἀπὸ τῆς νεόσσου προφέρῃ μάστακ', ἐπεὶ κε λάβῃ, κακῶς δ' ἄρα οἱ πέλει αὐτῇ* valitudinem suam, bono Universitatis, commodisque nostris posthabuisse; et opere pertinaciter navato, velut fabrum qui magno penso perfunctus sero vespere domum revertitur, et fessus quietem petit, placide demum obiisse.

Mortuus est, sed non omnis: in memoriis, spero, nostris ita manet vigebitque ut de illo quidem vere dici possit, quod dixit nescio quis poeta:—

"Mortuus ille aliis vivis vitalior extat."

Non est dubium quin nos, alumni, et vos qui ultimi eum audivistis, animis gratissimis effecturi sitis ut æneus fingatur, vel aliud tale monumentum in memoriam ejus ædificetur: et recte; sed tamen nos oportet veras statuas, veras imagines in animis memoriisque nostris fingere, quæ ære et saxo perenniora sint monumenta, ut in verbis Taciti, quidquid ex eo amavimus quidquid mirati sumus, maneat mansurumque sit in animis nostris in æternitate temporum.

Neque dum memoriam ejus in æternum servamus, obliviscamur lictoris illius et militis fortis Roberti McKim, qui ad ultimum fidus Adchates magistro suo hora una non superfuit. Strenuos enim fidelesque in vita ne mors quidem dissolvit.